Fragmentarium

uel de interiore eductionem uale. Unde recte subiungitur
Grossitudo autem luteris trium unciarum & crassi-
tudo autem luteris in imo. firmitate uirtutis in bap-
tismo. & trium unciarum est haec grossitudo dum robore
fidei spei & dilectionis perceptio baptismi communitur.
Neque aliter perfectum esse accipientibus ostenditur. Nisi haec
firmitate certitudo uirtutum mentem accipientium simul
& opera confirmat. Accipitur autem & celebratur bap-
tismi lauacrum in exemplum dominicae passionis & re-
surrectionis. memoratur lex atque apostolus exponit ait
quicumque baptizati sumus in christo iesu in morte ipsi-
us baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per
baptismum in mortem. Ut quemadmodum surrexit christus
a mortuis per gloriam patris. ita & nos in nouitate uitae
ambulemus. Si enim conplantati facti sumus similitudi-
ni mortis eius simul & resurrectionis erimus. Quod in
factura quoque maris aenei typice signatum est cum conse-
quenter adiungitur. Labium eius quasi labium calicis.
& folium repandi lilii. Per labium namque calicis gustatu do-
minicae passionis. per folium lilii repandi. pate facta claritas
resurrectionis ipsius exprimitur. Nam quod in calice pocu-
lum passionis designatur. Testatur ipse dominus qui uenturus ad
passionem patrem orat dicens. Pater si uis transfer ca-
licem istum a me. Lilium uero quae cum mira natura odoris
iucundissimi gratiae candidum foris colorem intus osten-
dit aureum. Apte gloriam resurrectionis designat

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

License: cc-by-nc-sa – Paris, Bibliothèque nationale de France, Baluze 270, ParisBNFBaluze270_300_f142v – Fragments of manuscripts gathered by Étienne Baluze (https://fragmentarium.ms/view/page/F-0r5d/340/5306)